

10. 3 9  
7

GRATIANUS, CORRECTORES,  
ROMANI, BOEHMERUS

VINDICATI

SIVE

VERITAS INSCRIPTIONIS COMMUNIS,

QUA

DISTINCTIONIS C. CANON IV. NITESCIT,

CONTRA

NOVISSIMOS HEDDERICHII  
ERRORES

DEMONSTRATA

A

GOSWINO JOSEPHO DE BUININCK,

SERENISSIMI, AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
PALATINI, QUA DUCIS JULIACENSIS ET BERGENSIS CONSILIARIO  
INTIMO, SUPREMÆ APPELLATIONUM CURIÆ ADSESSORE, NEC NON  
BIBLIOTHECARIO JULIACENSI ET BERGENSI.

  
DUSSELDORPII,

Sumtibus Joannis Christiani Dænzer.

1786.

STANUS COLLECTORES  
ROMAN. BOHEMUS

VERITATEM SEQUITUR COMMUNIS

EXAMINATIONIS & CANONICIS

NOVISSIMOS MEDICINAM

1785

LEONHARD

A

JOSEPHUS DE EUBINOR

JOSEPHUS DE EUBINOR  
1785

1785  
1785

## PRÆLUSIO

**P**rodiit nuper Bonnæ Dissertatio hæc insignita epigraphe: *Dissertatio Juris Ecclesiastici exhibens historiam, exercitium, ac suspensionem turni Ecclesiarum Collegiatarum Coloniens. præcipue per preces Archiepiscopales, quam loco tentaminis Academici publici unâ cum selectis jurium thesibus sine Præside exponet, & propugnabit Caspar. Antonius S. R. I. Eques de Mastiaux in Neuenboven Bonnenfis, Jur. Audit. quinquennio emer. in Aula majore Electoralis Academia Bonnenfis die XXV. mensis Februarii MDCCLXXXVI. ab horâ IX. ad XI.*

Præfatio Autoris habet “Viri, quos maxima de exculto jure sacro commendant merita, jam pridem monuere, *Jus ecclesiasticum germanicum ex domesticis potissimum fontibus, Conciliis Germaniæ, statutis, privilegiis, & observantiis ecclesiarum, diplomatibus, & scriptoribus verum germ. bauriendum & illustrandum esse.* A primo jam exordio concrediti mihi muneris docendi jus sacrum germanicum, anno abhinc 1771. hanc viam, & quidem non sine fructu observavi, tum in prælectionibus, tum scriptis publicis antehac à me editis; nec me unquam pœnituit, in hanc semitam ivisse. Fidelis itaque legi, quam nihilmetipsi posui, huic viæ insistendi, præfens thema elucubrandum: *de historia, exercitio ac suspensione Turnorum in Ecclesiis Colleg. Colon. per primarias preces Archiep. Selegi confidens laborem meum orbi liter. non fore ingratum, eò quòd materia hæc, quoad dignitas illius postulat, nondum est elaborata satis, quæstiones in praxi mihi plexumque obvias, quas in aliis authoribus frustra quæsieris, resolvi. Authores, qui (bonâ tamen veniâ ipsis concedendâ) in historiâ & jure præcipuè primar. precum Archiepisc. Colon. errârunt, corriguntur. Addididocum. potissima ex parte adhuc inedita, quorum utilitatem ut commendem, non est necesse; adj. etiam quibusdam docum. jam jam editis, ut documenta, quibus mea tractatio innititur, uno fasciculo sisterem. Sententiis & decisionibus meis nullius juri*

A 2

“ præ-

“ præjudicare volo, imo nec possum, fatis memor, me legem ab  
“ aliis suscipiendam scribere non posse; & cùm difficile sit, ad om-  
“ nium sapere ingenia, moneo contradictores meos, ut detracta  
“ larvâ & absque convitiis & criminationibus prodeant in publicum,  
“ eâ, qua viros literatos decet, modestiâ & christianâ charitate non  
“ personam, sed doctrinam aggressuri, si à me responsum deside-  
“ rent. Lectorem verò, qui scripta mea æquo hætenus animo &  
“ judicio dignabatur, ut mihi favere non desistat, rogo.”

Dj boni! Qui hæc sibi cohærent? Sine præside exponit, & propugnat. jur. Aud. quinquennio emer. Econtra autor præfationis jam tum ab initio concediti sibi muneris docendi jus sacrum Germanicum anno abhinc 1771. hanc viam, & quidem non sine fructu observavit tum in prælectionibus, tum scriptis publicis ante hæc à se editis. Autor quæstiones in praxi sibi plerumque obvias, quas in aliis autoribus frustra quæsieris, resolvit. Autor autores, qui (bona tamen veniâ ipsis concedenda) in historia & jure præcipue primariarum precum Archiepiscopus Colonienfis errarunt, corrigit. Autor denique lectorem, qui scripta sua æquo hætenus animo, & judicio dignabatur, rogat, ut ipsi favere non desistat. Quid? num ergo quinquennalis Jurium auditor salutabitur autor, qui jam à primo exordio concediti sibi muneris docendi anno abhinc 1771. tum in prælectionibus, tum scriptis publicis ante hæc à se editis viam & non sine fructu observavit, qui quæstiones in praxi sibi plerumque obvias, quas in aliis autoribus frustra quæsieris, resolvit; quique lectorem, qui scripta sua æquo hætenus animo, & judicio dignabatur, rogat, ut ipsi favere non desistat. Itaque procul dubio alius est autor, parensque. Ast quis, putas, puer iste erit? Cur inlustre, ac fama super æthera notum nomen celavit, atque, ut contractus innominatus incessit, qui ipse contradictores suos monet, ut detractâ larvâ in publicum prodeant, si ab ipso Deilio responsum hucusque, quantum scio, neque desideratum, neque ex notis causis usquam desiderandum desiderent?

Nonne autem autor manifestus apparet, dum §. 4. lit. a. pag. 6. scribit: *Vid. P. 1. Elem. nost. §. 194. in Notis, nec non dum §. 15. lit. a. pag. 21. repetit: Jus hoc ceu essenziale omnibus Collegiis competere jam observavi in P. 1. Elem. meorum tit. de Statutis Ecclesiarum Colleg. pag. 229. Verùm annon dantur quam plurimi, qui ele-* menta

menta scripserunt? Sic scripsit PERTSCH elementa juris canonici, HEINECCIUS elementa juris Naturæ, & Gentium, elementa juris civilis secundum ordinem Institutionum, elementa juris civilis secundum ordinem Pandectarum. WOLFFIUS elementa matheſeos univerſæ, atque aerometriæ elementa, BOEHMERUS elementa juris criminalis, ENGAU elementa juris Germanici civilis, SELCHOW elementa juris Germanici privati, atque elementa juris Publici Germanici, celeberrimus D. PUTTER elementa juris Publici Germanici. His, innumerisque aliis innominatus autor num notior, ita ut ejus elementa ſive juris canonici, ſive juris civilis, ſive juris feudalſis, ſive juris publici, ſive juris Germanici, ſive artis criticæ, ſive antilogiæ, ſive tautologiæ micent inter omnes, velut inter ignes luna minores, adeoque illico conſtet, HEDDERICHII *Elementa juris Canonici* indicari, quotiens *P. I. Element. noſt. §. 194.* allegatur.


Nonne ergo autor manifeſtus apparet, dum §. 7. *lit. d. pag. II.* ſcribit “Ejuſmodi incorporationes Seculo XII. & XIII. factas eſſe magno numero diplomata reſtantur, quorum varia reruli in “*Differtationibus de Parochiis in Diœceſi Colon. præcipue in Ducatibus Julia & Montium &c. ed. Bonnæ 1781. Diff. de eo, quod circa Decimas novales præcipue in Diœceſi Coloniënſi juſtum eſt. ed. Bonnæ 1782.*” Aſt prima Diſſertatio hoc titulo gaudet: *Diſſertatio Juris Eccleſiaſtici Germanici de parochiis in Germania, præcipue Ducatibus Julia & Montium alternatiæ menſium concordatorum haud ſubjectis, quam una cum pætergſis ex jure eccleſiaſtico eruditorum tentamini ſubmittit D. Damianus Hatbard. Ign. Xav. de Mees ex valle Ebrebreiſtein jurium auditor, in hac alma & florentiſſimâ Academiâ Electorali Maximilianea Bonnenſi ad diem XV. Martii anni 1781. a nonâ ad undecimam. Ita vel D. de MEES eſt diſſertationis autor, vel certo ille eſt, quod latine ſonat nullus, qui Polyphæmo tertio potanti reſpondit. Alterius contra Diſſertationis frontiſpicium eſt “*Diſſertatio juris eccleſiaſtici de eo, quod circa decimas novales in Germania, ac præcipue in Diœceſi, & territorio Coloniënſi juſtum eſt, quam ſub præſidio Philippi Hedderich Min. Conv. Presbyteri; S. S. Theolog. Doctoris, eminentiſſimi Principis Electoris, & Archiepſcopi Coloniënſis Conſiliarii Eccleſiaſtici actualis, Conſilii Electoralis Academicæ Aſſeſſoris, S. S. Canonum in Electorali Academiâ Maximilianea Bonnenſi Profeſſoris P. & O. atque inclyti Collegii juridici Aſſeſſoris publicæ eruditorum diſquiſitioni ſubmiſit Chriſtianus Franc. Weidenfeld ex Neukirchen, Patriæ Coloniënſis jurium Auditor emer-**

emeritus auctor & defendens. Compertum jam habemus autorem videlicet ipsum defendentem. Quid? quod nuperrime a FULGENTIO DE VERITA *Affentationum specim. V. Antistes. XCIII. lit. v. pag. 30.* relatum "Cæterum per transennam memorare fas sit, "F. Philippum Hedderich ab allegato diario litterario, nempe *l'Esprit des Journaux Juillet 1783. Tom. VII. pag. 252.* absque ullâ hæsitacione declarari, ac renunciari patrem *Dissertationis de eo, quod circa decimas novales in Germaniâ, ac præcipue in Diœcesi, & territorio Coniensi justum est.* Ego interim nuperrime vidi, legique epistolam "a F. Hedderich, ut asseverebatur, propriâ manu conscriptam, quæ paternitatem perfricte negat, & pernegat. Procul dubio ipsus "Fr. Hedderich, manum suam quidem non facile diffitebitur. Nihilominus tamen sæpe dicto diario plus, quam epistolæ fido.,"

Quid nunc? An citatus FULGENTIUS DE VERITA male auguratus, deceptus, atque illusus? Annon potius D. WEIDENFELD æque ac innominatus autor palam mentitus? Posterius longe latèque panditur, ac plene probatur, dum autor §. 10. *lit. a. pag. 15.* pergit "Hujus rei historiam fufius explicatam vide in *Diss. nostra ad Concordata Germaniæ Treveris 1773.* edita, recusa in fasciculo "III. *ad Concordata germaniæ.*" Etenim ab anonymo libri, qui sub titulo: *Ad Concordata Nationis Germanicæ integra Francofurti & Lipsiæ 1777. prodit, Fasc. III. Docum. XIV. pag. 126.* refertur P. Philippi Hedderich *Minoritæ Conventualis Trevirensis Dissertatio ad Concordata Germaniæ 1773. Pars prima exponens Themata historica Concordatorum.* In hanc ergo dissertationem ubi autor dominas manus iniecerit, nunc iterum publice confitetur, se esse ipsum eundem P. PHILIPPUM HEDDERICH, quem POLYCHRONIUS GASMANN, THEODORUS LILIENDAHL, JOSEPHUS de MEDIASTINIS, UBALDUS DE DUOBUS FRATRIBUS, JOSEPHUS DE MILLE ANIMABUS, ac FULGENTIUS DE VERITA tot, tantisque floribus sparserunt, ornatiusque pinxerunt. Jam prælusisse satis. Succedat proin



VERI.



## VERITAS INSCRIPTIONIS COMMUNIS

### §. I.

DISTINCTIONIS C. CANON IV. unà cum inscriptione ac notis,  
ab inlustrissimis Fratribus PITHOEIS (a) relatus sequentis est tenoris:

“ JOANNES Episcopus Vuliberto a agrippinensi Episcopo  
“ (c. an. 873. Româ in Germaniam)

“ Nisi post consuetam fidei professionem Pallium dari non debet.

Optatum (k) tibi Pallium nunc conferre nequivimus: quia (k) Ansel.  
fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere repe- l. 6. c. 92.  
rimus: cum videlicet in ea nullam sanctarum universalium Syno-  
dorum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur, nec De-  
cretalium Pontificum Romanorum constitutorum secundum morem  
feceris mentionem: sed nec illam propria subscriptione munieris,  
nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miseris.

“ (CORR. ROM. a Vuliberto) Restitutum est hoc nomen ex  
Anselmo. Nam antea erat, *Giliberto*: Nam Regino in ea ætate,  
quâ Joannes VIII. Romanæ Ecclesiæ præfuit, meminit Vuliberti  
Episcopi Agrippinensis: & inter Epistolas Joannis Papæ VIII.  
quæ in Bibliotheca Vaticana servantur, est epistola alterius arg.  
ad eundem, & Deusdedir refert integram ejusdem Joannis Epi-  
stolam ad eundem Vulibertum.”

### §. II.

(a) Corp. Jur. Canon, Tom. I. pag. 123. Parisiis MDCLXXXVII,

§. II.

Idem CANON paucis mutatus à BOEHMERO (a) ita exhibetur.

“ Nisi post consuetam fidei professionem pallium dari non debet.

“ Unde Joannes Episcopus Vuliberto & Agrippinensi Episcopo. (Papa VIII,  
“ circa annum 873. Româ in Germaniam. Concil. tom. VI. P. I.  
“ pag. 121.

“ Opratum (i) tibi pallium nunc conferre nequivimus: quia fidei  
“ tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus:  
“ (81) cum videlicet in ea nullum sanctarum universalium Synodo-  
“ rum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur, nec decreta-  
“ lium pontificum Romanorum constitutorum, (82) secundum mo-  
“ rem, feceris mentionem: sed nec illam propria subscriptione mu-  
“ nieris, (83) nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miseris.

“ (81.) Comperimus, secundum C. R. I. & 3.

“ (82.) Decretorum, constitutorum, legit C. R. I. Constitutionum habetur  
in edit. Fontan.

“ (83.) Munieras, C. O. & Fontan. edit. qui etiam paullo post legitur  
“ miseris.

“ (Corr. Rom. & Vuliberto) Restitutum est hoc nomen ex An-  
“ selmo. Nam antea erat: Gliberto. Nam Regino in ea cetera  
“ qua Joannes Octavus Romanæ Ecclesiæ præfuit, meminit Vul-  
“ berti Episcopi, Agrippinensis: Et inter Epistolas Joannis Pape  
“ octavi, quæ in Bibliotheca Vaticana servantur, est epistola alterius  
“ arg. ad eundem: Et Deusdedit refert integram ejusdem Joannis  
“ epistolam ad eundem Vuliberium. „

“ (i) Anselm. lib. 6. c. 92.

(a) Corp. Jur. Canon. Tom. I. pag. 295.

§. III.

“ Contra P. HEDDERICHIO: (a) monere placuit: “ Denique cor-  
“ rige lapsum Gratiani, & Correst. Rom. ac BOEHMERI in  
“ Corp. Juris, qui Can. 4. d. 100. Joanni VIII. inscribunt, inscri-  
“ bendum Adriano II. qui ad. an. 872. medium Ecclesiæ romanæ  
“ præ-

(a) Citata supra Dissert. §. 4. lit. a. pag. 6.

~~—————~~

9

“ præfuit., Amabo quis ita corriget? Medius-fidius non nisi is, qui, cum ipse alios in historia, & juribus, præcipuè primariarum precum Archiepiscopatûs Colonienfis prætenfè errantes eâ, quâ viros literatos decet, modetiâ, & christiana caritate corrigere gestit, seu potiùs superbit, digniffimus est, ut à plurimis jam tæque, quaterque admonitus, femetipsum corrigat.

#### §. IV.

**A**<sup>b</sup> ipsa origine ordiri, adeoque totam rei seriem, atque historiam texere juvat. Nimirum GUNTHERUS, five GUNTARIUS Colonienfis Archiepiscopus a NICOLAO I. Summo Pontifice anno 866. excommunicatus, & depositus fuit, eo quod divortium LOTHARII Regis, qui repudiatâ uxore legitima Thietburga Waldradam concubinam suam superduxerat, unâ cum Thiergaudo Trevirenfi Archiepiscopo comprobâfset, prout chronographus, five annalista SAXO (a) hisce refert,

“ Annus Dni DCCCLXV. Ludovici XXV.

“ Lotharius Rex cepit, occasiones quærere, ut Thietburgam reginam à suo consortio separaret, quatenus Waldradam quæ ejus fuerat concubina, cum adhuc esset adolescens in domo paterna, sibi legitime copularet; Guntharium itaque Colonienfem præsum aggressus, promisit, se neptem illius in matrimonium accepturum, tantum ut Thietburgam, ejus, & aliorum Episcoporum autoritate repudiare potuiffet. Quâ ille spe seductus Thietgandum Trevirensem Archiepiscopum de hâc re alloquitur: Quid plura? Concilium Mettis convocant, Reginam canonicè vocatam in medio statuunt, testes producant, qui gravia crimina ei imponentes,  
B “ inter

---

(a) Apud LEIBNITIVM *Access. Historic. pag. 141.* & apud ECCARDUM *Corpor. Historic. Tom. I. pag. 198.* ubi tamen legitur: “ Anno Domini-  
“ nicæ Incarnat. VCCCLXIII.

“ Lotharius rex cepit occasiones quærere, qualiter Thietbergam a suo consortio separaret, quam exosam habebat propter Uualdradam quæ ejus fuerat concubina, cum adolescens in domo patris esset; hanc  
“ dia-

inter alia protestati sunt, quod eadem Thietburga confessa fuisset, semetipsam fratris Germani incestuoso concubitu esse pollutam; sic illa non solum à legitimo viro separatur, verum etiam omni ei copula maritalis inhibetur, pœnitentia juxta modum culpæ indicitur: his itaque patrat, Waldrada jam in publicum procedit, omnisque regia aula resultat, Waldradam Reginam esse. Guntharii Episcopi neptis accersitur, ac semel, ut ajunt, ab eo concupiscitur, atque cum cachinno & omnium derisione ad avunculum remittitur. Igitur, agentibus fratribus Thietburgæ Reginæ hæc omnia ad notitiam Nicolai Papæ referuntur.

Annus Dni DCCCLXVI. Ludovici XXVI.

Misi sunt Hagano & Rodoaldus à Sede Apostolica ad discutiendam Thietburgæ causam. Qui in Franciam venientes pecunia corrupe-

diabolo inflammante nimio diligebat amore; Guntharium itaque Coloniensem Archiepiscopum, qui tunc erat Archicapellanus, primo permissos, deinde per se super discordia omni arte aggreditur, & facilius assensum præberet, promisit, neptem ejus matrimonio accepturum, tantum ut Thietbergam, ejus aliorumque Episcoporum auctoritate repudiare posset, qui ut erat levis animo, & inconsiderate actione, omni intentione in rem inducitur. Idem Guntharius Thietbergam gaudum Trevirensis Archiepiscopum hæc de causa alloquitur, sciensque virum simplicem, nec adeo in Canonicis sanctionibus exercitatum ex utrisque testamenti paginis quasdam sententias, aliter, quam ecclesiastica pagina docet, edisserens, virum improvidum, secum in foveam trahit, cæcus cæco ducatum præstans. Quid plura; facta sunt omnia quæ huic commento videbantur necessaria; Concilium Metis convocant, Reginam quasi canonicè vocatam in medio statuunt, testes adhibent, cum scriptis producant, quasi gravia crimina imponentes, protestati sunt, quod eadem Thietberga confessa fuisset, semetipsam fratris Germani incestuoso concubitu fuisse pollutam; continuo Patrum statim de incestuosis recitantur, & non solum à legitimo viro separatur Thietberga, verum omnis ei maritalis copula inhibetur; pœnitentia juxta modum culpæ indicitur, & tam nefaria machinat. diu exoptatam voluntas Regis impletur. Non multo post iterum conventum Synodalem Aquis adunavit, ubi libellum suæ reclamationis obtulit, ubi continetur, quod in quadam femina Thietberga factiosis perfidorum hominum argumentis fuerit defraudatus; imò non mediocriter reperit, quod judicio Episcoporum discordi sententiam pertulisset, quæ

~~—————~~

“ sunt responsumque à Rege acceperunt, se nihil aliud egisse, nisi  
“ quod Episcopi in generali Synodo agendum demonstrassent. In-  
“ terea Thiergaudus & Guntharius Archiepiscopi Romam profecti  
“ sunt, ut Regem innoxium à supra dicto facto, se quoque Eccle-  
“ siastica exercuisse decreta, monstrarent; itaque cum in præsentiam  
“ Nicolai Papæ venissent, eorum anatematizata sunt scripta, & ipsi  
“ à rora Synodo sunt abjudicati, depositi, & omni ecclesiasticâ digni-  
“ tate privati, communionem tantum laicali eis concessa. Sic turpi-  
“ ter dehonestati, in patriam regressi sunt & licet Imperator omni  
“ cona-

B 2

cona-

“ si idonea esset conjugali thoro, & pestifera incestus pollutione scdada  
“ non fuisset, nec viva vocis confessione publicè condemnata, sponte  
“ eam retineret: porro se incontinentem esse professus est, & sine con-  
“ pulâ juvenilis ætatis ardorem ferre non posse, quibus recitatis hanc  
“ definitivam sententiam protulerunt: Credimus illam dignam non fuisse,  
“ ac legitimam conjugem, nec adeo præparatam, quæ publica confes-  
“ sione incestus crimine denotata probatur: Quocirca glorioso Principi  
“ nostro pro suâ in divino cultu devotissimâ affectione, atque victoriosissi-  
“ ma regni tuitione, cui non solum nos, verum omnis canonica au-  
“ toritas interdixit incestuosum conjugium, legitimum matrimonium non  
“ denegamus, juxta indulgentiam dicentis Apostoli: *melius est nubere,*  
“ *quàm uri.* His ita patratâ Waldrada jam in publicum prodit, stipata  
“ obsequentium multitudine, omnisque regia resultat, Waldradam Re-  
“ ginam esse. Guntarii neptis accersitur, ac semel, ut ajunt, à Rege  
“ constupratur, & cum cachinno, & omnium derisione ad avunculum  
“ remittitur. Igitur agentibus fratribus Thietbergæ hæc omnia ad no-  
“ titiam Nicolai Papæ deferuntur, adventus sanctæ Lutrudis Corbejæ  
“ eodem anno

“ Anno Dominicæ incarnat. VCCCLXV.

“ Missi sunt Hagano & Rodoaldus Apostolicæ Sedis Legati in Galliam  
“ ad discutiendum, utrum ita se res haberet, sicut Summo Pontifici  
“ nuntiata fuerat, qui pecuniâ corrupti, magis favorunt iniquitati, quàm  
“ æquitati. Tamen ad Regem venientes, cum declarassent legationis suæ  
“ causas, responsum acceperunt: nihil se egisse, nisi quod Episcopi  
“ regni ipsius in generali Synodo agendum præmonstrassent. Dederunt  
“ autem ei consilium, ut Episcopos, qui Synodo præfuerant, ad Sedem  
“ Apostolicam destinaret, qui verbis & scriptis Papæ satisfacerent. Le-  
“ gati ditati opibus, Romam regressi sunt, nuntiaveruntque Præfuli, in  
“ Galliis quæ viderant, & audierant, adjicientes, nullum se Episcopum  
“ in regno Lotharii invenisse, qui ad liquidum Canonicis esset discipli-  
“ nis institutus. Interea Guntarius & Thietgaudus Archiepiscopi Ro-  
“ manæ

“ conamine eis suffragari niteretur, conatus omnis frustratus est.  
 “ Thiergaudus prolatam in se sententiam patienter servavit; Gun-  
 “ tharius verò superbiæ spiritu inflatus, vetitum sibi officium ausu  
 “ temerario usurpare præsumpsit.,”

§. V.

“ mam profecti sunt eâ intentione; ut & Regem innoxium demonstra-  
 “ rent, se cum coepiscopis ecclesiastica & apostolica exercuisse decreta,  
 “ stultitiæ quidem elogio denotandi, qui Petri Sedem pravo dogmate  
 “ fallere posse arbitrati sunt, quæ nec sefellit, nec ab aliquâ unquam  
 “ hæresi falli potuit. Cum in præsentiam Nicolai Papæ venissent, li-  
 “ bellam obtulerunt, in quo continebantur gesta Synodalia, quæ in Meo-  
 “ diotricorum urbe, vel Aquis ab eis gesta fuerant; quæ cum à nota-  
 “ rio coram omnibus recitata essent, interrogavit Pontifex; si hæc ver-  
 “ bis confirmarent? responderunt, inconueniens videri, ut, quod mani-  
 “ bus roborauerant, infirmare verbis mallent; & sic, nec repulsâ, nec  
 “ admisâ eorum assertionem, iussi sunt ire ad hospitia sua, quousque vo-  
 “ carentur: Paucis diebus interjectis ad Synodum sunt accersiti, ubi eor-  
 “ rum damnata, & anatematizata sunt scripta, & ipsi omnibus a judi-  
 “ cantibus Episcopis, Presbyteris ac Diaconibus depositi, & omni ec-  
 “ clesiasticâ dignitate privati. Qui tam turpiter dehonefati, Lodoyicum  
 “ Imperatorem, fratrem Lotharii Regis, adeunt, qui tunc in Beneventum  
 “ partibus morabatur, scriptis ac dictis vociferantes, se injustè deposti-  
 “ tos, ipsi Imperatori; & omni Ecclesiæ injuriam factam, cum nunquam  
 “ auditum sit, vel uspiam lectum, quod ullus Metropolitanus sine con-  
 “ scientia Principis vel aliorum præsentia Metropolitanorum fuerit de-  
 “ gradatus. Adjecerunt multa alia, eundem Papam blasphemantes, quæ  
 “ superfluum est enumerare, existimantes, se Imperatoris adminiculo,  
 “ & intercessionis ope & criminis objecti abolere notam, & pristina  
 “ dignitatis recuperare statum; sed spes eorum frustrata est, quamvis  
 “ Imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Thiergaudus deposti-  
 “ tionis suæ sententiam patienter ferens, nil juxta præcedentem con-  
 “ suetudinem de sacro ministerio contingere præsumpsit, Guntarius verò  
 “ superbiæ spiritu inflatus, vetitum sibi officium usurpare non expavit,  
 “ parvi pendens apostolicam excommunicationem. Revertuntur igitur  
 “ in Franciam, debita confusione reiperfi, & dum iterum & tertio Se-  
 “ dem Apostolicam ob restitutionis gratiam adissent; novissimè in Italia  
 “ infirmitate præventi, peregrini & exules moriuntur, communionem  
 “ laicali tantum sibi concessa.,” Ea ergo, qua viros literatos deceet,  
 modestia, & Christianâ caritate corrige lapsum MERSSÆI Minoritar  
 de Elektor. Ecclesiast. Archiepiscop. & Episcop. Coloniens. Origine Cap. II.  
 p. m. 39. scribentis, Guntherus sive Guntharius ex nobili Francorum stirpe  
 prognatus, assumptus in Summum Sacerdotem circa annum Domini 890.  
 fuit vir in sacris literis apprime eruditus ac magno animo præditus.

## §. V.

**N**ICOLAO I. qui 13. Novembr. 867. mortuus, succedens **H**ADRIANUS II. depositum Guntherum non restituit, sed memorantibus **ANNALIBUS FRANCORUM BERTINIANIS** (a) ei, emissâ præviè professione publica (b) laicam communionem eâ conditione concessit, ut, quæ professus fuit, observaret, quamdiu viveret.

(a) Apud **DUCHESNE** *Histor. Francor. Scriptor. Tom. III. pag. 235.*

(b) Professionis anno 869. emissæ tenor est: "Profiteor ego Gutharius coram Deo, & sanctis ejus, vobis Domino meo Adriano Summo Pontifici, & universali Papæ, ac venerandis tibi subditis Episcopis, reliquaque conventui, quoniam judicium depositionis, in me à Domino Nicolao canonicè datum, non reprehendo, sed humiliter porto; Unde nec ulterius sacrum ministerium contingere præsumo, nisi per misericordiam mihi subvenire volueritis. Nec aliquando contra sanctam Romanam Ecclesiam, aut ejus Pontificem, aliquod scandalum, vel quidquam adversi movere volo: sed devotum me eidem sanctæ Matri Ecclesiæ, ejusque Præsuli exhibere, atque obedientem permanere protestor. Ego Guntharius huic professioni à me factæ manu propria subscripsi data Kalendas Julii, indictione 11. in Ecclesiâ sancti Salvatoris, quæ est in Monasterio sancti Benedicti in Cassino," **VID. ANNALES BERTINIANI cit. Tom. III. pag. 234.**

## §. VI.

**D**ein dirigente **LUDOVICO** Rege, & minitante **LUITBERGO** Moguntino Archiepiscopo **VUILBERTUS** sive **WILLIBERTUS** in locum depositi **GUNTHERI** circa finem anni 869. substitutus est, uti **REGINO** (a) ita enarrat: "Carolus certâ relatione  
" com.

(a) *Chronic. Lib. II. apud PISTORIUM Rer. Germanic. Scriptor. Tom. I. pag. 72. Curante STRUVIO. Confer. ANNALES METENSES apud laudatum DUCHESNE cit. Tom. III. pag. 311. Hinc iterum corrigere lapsam MERSSÆI cit. loc. pag. 40. scribillantis; Sanctus Willibertus precibus, & intercessione Caroli III. diligenter populo Agrippinensi commendatus, consecutus est Pontificatum per legitimam electionem.*

“ comperiens, Lotharium regem obiisse, mox illius occupare ditio-  
 “ nem nititur, metasque perveniens, ab Adventio, præfate urbis  
 “ Episcopo, & nonnullis aliis primoribus, favorabiliter exceptus,  
 “ in regnum sublimatus, indeque digrediens, Aquisgrani palatium  
 “ ingressus est, eò quòd sedes regis esse videretur, ubi multo plu-  
 “ res ad eum confluxere. Carebat autem eà tempestate urbs Tre-  
 “ virorum & Colonia Agrippinensis pontificibus: liquidem (ut præ-  
 “ misimus) amborum præfules in Italiã ab hãc labe subtracti sunt.  
 “ Inito autem rex cum optimatibus consilio, Bertulfum, nepotem  
 “ supra dicti Adventii Episcopi, Ecclesiæ Trevirorum præfecit.  
 “ Dicitum est autem, ut iste vir episcopalem obrineret dignitatem,  
 “ interventu & ope prædicti Adventii, quia eo tempore plurimum  
 “ apud regem poterat, eò quòd illi assentando in adipiscendis regni  
 “ negotiis ambitiosius faveret. Porrò Coloniae Agrippinæ Rex Hil-  
 “ duvinum abbatem præponere tentavit in pontificali Cathedra,  
 “ fecitque à Francone, Episcopo Tungrensis diœcesis, in Aquis pa-  
 “ latio presbyterum ordinari, ad ritulum sancti Petri prædictæ me-  
 “ tropolis. Dum hæc in regno Lotharii aguntur, LUDOVICUS  
 “ rex, infirmitate detentus in Baioariorum finibus lecto decumbe-  
 “ bat. Audiens itaque à fratre sæpe dictum regnum taliter inva-  
 “ sum, agrè tulit, & cum omni festinatione legatos direxit, qui  
 “ eum obnixè rogarent, ut ab hãc temerariã invasione cessaret, nec  
 “ solus indebitã præsumptione usurparet, quod utrisque hæredita-  
 “ rio jure æqualiter competebar; regno decederet, quo usque Deo  
 “ pristinam sospitatem reddente, venire posset, ut pariter collo-  
 “ querentur, & de ejusdem regni statu, quod justitiæ, & æquitatis  
 “ jura dictabant, pari voluntate decernerent. His cum tali manda-  
 “ to præmissis, interim Luidpertum, Archiepiscopum Moguntia-  
 “ urbis, occulte Coloniam dirigit, hortaturque, ut omni arte fata-  
 “ geret, ordinationem Hilduini prævenire, & ex ipsius civitatis  
 “ Clero Episcopum consecrare studeret per electionem civium, qui  
 “ assumptis secum aliis Episcopis, recto itinere Duizam Castrum  
 “ pervenit, & formidans, ne fortè insidiæ sibi à Caroli fautoribus  
 “ struerentur, nequaquam Rhenum transit, sed destinatis missis  
 “ mandavit, ut honestiores ex clero, & nobiliores ex populo sibi  
 “ ad idem castrum occurrerent. Illis jussa complentibus, Episcopus  
 “ ex parte Regis eos alloquitur, ut sibi consulerent, & quàm ci-  
 “ tius ex proprio grege præfulem eligerent; se adhuc destinatum  
 “ esse,

esse, ut, quemcunque communi consilio præficiendum decernerent, statim consecraret. Ad hæc illi respondent, Hilduinum Episcopum esse datum, jamque presbyterum ad ipsam Sedem ordinatum, omnésque penè manibus datis, ejus dominationem susceptam haberent, nullâ ratione permetterent, ut alium eligerent. Quibus ille è contra: si electionem nobis à rege concessam despicitis, in arbitrio & potestate Regis est, quem nobis dare velit Episcopum. His auditis unanimiter elegerunt Willibertum, venerabilem virum, quem nimium renuentem, ac refugientem ordinavit prædictus Antistes cum aliis confacerdotibus, & cum omni clero & populo Rheni fluentia transfretavit, & eum honorificè in Sede Pontificali imposuit, omnibusque ritè peractis ad sua omni celeritate recessit. Carolus, compertâ ordinatione nimio furore accenditur, ac mox Coloniam proficiscitur: quippe dum hæc agerentur à missis Ludovici, Hilduinus apud Aquas Palatum in regio obsequio morabatur. Willibertus Episcopus, & omnes, qui in ejus ordinationem consenserant, rhenum trans-euntes, sævitiam regis declinaverunt. Rex cum neminem reperisset, in quem suas injurias ulcisci posset, viâ, quâ venerat, regressus est.

### §. VII.

Summus Pontifex rem hancce indignatus, LUDOVICO Regi (a) inter cætera scripsit: "Miramur præterea gloriam vestram in præficiendo Episc. Agrippinæ Coloniae tam indiscretè præbuisse consensum, cum evidentissimè scires, quòd apostolicæ Sedis judicio atque consensu ibidem debuerit ordinari Antistes, cujus censura nuper fuerat eadem Ecclesia suo privata rectore. Et quidem quod post judicium Sedis Apostolicæ factum est, durè suscepimus: sed quòd tua super hoc devotio, quam circa nos habere probaris, omnimodis tacuit, durius æstimamus; Præcipue quia Guntharii dudum Archiepiscopi causam, antequam in locum illius substitueretur Episcopus, nos iterum audituros, & vocem ejus admissuros fore spondimus. Præfatam quippe ordinationem

(a) EPIST. XXI,

« nem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quousque  
 « ille, qui ordinatus est, nostræ exhibeatur præsentia, & utraque  
 « pars coram nobis discussa, conventus synodalis perpendatur au-  
 « diencia.

### §. VIII.

**I**nterim HADRIANUS II. Novembri mense, adeoque circa finem  
 anni 872. (a) decessit, quem JOANNES VIII. Romanus Vidonis  
 filius, S. R. E. Diaconus Cardinalis XIX. Kalend. Januar., sive jux-  
 ta hodiernum styllum 14. Decembr. ejusdem anni (b) excepit.

(a) Vid. UGHELLUS *Italiae sacrae Tom. I. pag. 21.* Venetiis MDCCXVII.  
 Curante COLETO. NATALIS ALEXANDER *Histor. Ecclesiast. Tom.*  
*XIV. pag. 65.* Parisiis MDCLXXXI. DU MESNIL *Doctrin. & Discipl.*  
*Ecclesiast. Tom. III. pag. 837.* DU PIN *Nouvell. Bibliot. des auteurs*  
*Ecclesiast. Tom. VII. pag. 183.* Ea ergo, quæ viros liberatos decet, mo-  
 destia, & christiana caritate corrige lapsam HEDDERICHII, qui HA-  
 DRIANUM II. ad annum 872. medium Romanæ Ecclesiæ præfuisse pro-  
 more, genioque suo fingit.

(b) Vid. ANNALES BERTINIANI apud DUCHESNE *cit. Tom. III. pag.*  
*244.* UGHELLUS *cit. pag. 21.* NATALIS ALEXANDER *cit. pag. 65.*  
 PAGI *Criticor. Historico-Chronolog. Tom. III. pag. 699.* DU MESNIL  
*cit. pag. 837.* & HARTZHEIM *Concil. German. Tom. II. Catalog. Ro-*  
*manor. Pontific. pag. XXII.*

### §. IX.

**H**ic, GUNTHERO tandem mortuo, WILIBERTI precibus an-  
 nuit, eique optatum pallium an. 873. (a) concessit, quod paul-  
 id antè negarat, ob causas in laudato Can. IV. allegatas, videlicet  
 1.)

(a) Vid. SCHATEN *Annal. Paderborn. Part. I. Lib. III. pag. 168. & 174.*  
 nec non GUNDLING in ausführlichem Discours über den vormaligen  
 und itigen Zustand der Deutschen Churfürsten Staaten Th. IV. Cap.  
 VII. §. 11. Bl. 405. ubi adnotat: Man muß wissen, daß so wohl Pabst  
 Hadrianus II. als auch dessen Nachfolger, Joannes VIII. anfänglich von dies-  
 sem

1.) quia fidei pagina, sive professio minus, quam oporteret (b) continebat. 2.) Quia Archiepiscopus in fidei pagina nullam sanctorum universalium Synodorum, in quibus fidei symbolum continetur, nec

C

nec

sem Williberto etiam weder hden, noch wissen wollen; weil es mit dessen Wahl, nach des Römischen Stuhls Vorgeben, nicht richtig zugegangen. Und also verließen fast ganzer 3. Jahre, ehe sich Willibertus auf dem Erzbischoflichen Stuhle zu Eßln feste setzen konnte. Als aber 873. der begrabte Guntharius mit Tode abgegangen war: änderte sich das ganze Spiel. Denn nunmehr ertheilte Pabst Joannes VIII. dem Williberto nicht nur die vöilige Einwilligung zur Erzbischoflichen Würde, sondern gab ihm auch das Pallium. Die Briefe, so deswegen ermelter Pabst an den Willibertum geschrieben, stehen theils in Baronii annal. ad an. 873. §. 2. theils in der Collect. Concil. regia T. XXIV. p. 384. Hiernach hielt der neue Erzbischof, Willibertus, so fort mit Zuziehung der Erzbischofe von Maynz und Trier des Luitberti, und Bertulfi, ein Concilium zu Eßln, worinnen unter andern sehr ehrerbietig von dem verstorbenen Gunthario gesprochen, und so gar, auf Ansuchen Williberti, einige von ihm getroffene Anstalten, und unternommene Verschönerung der Kirchen-Güter gebilligt und bestätigt wurden.

(b) An ergo fallit HARTZHEIM *Contil. Germar. Tom. II. pag. 356. scribens: Ob omissa quaedam in libello supplicis: in quo nec fidei suae paginam, seu professionem ediderat, nec significaverat, a se acceptari Synodos universales.* Annon potius fallit HEDDERICH *Element. Jur. Canon. Part. I. §. 194. lit. c. falsissime subnptans: "Falsissimum autem est, quod refert HARTZHEIM l. cit. WILLIBERTUM Archiepiscopum emittere noluisse ipsam fidei professionem."* (c) Inde HEDDERICH supra citato §. 4. *lit. a pag. 6. audacter infert, ac colligit. "Nempe Nicolaus an. 865. Episcopis Germaniae & Galliae data Epistola imperavit falsarum Decretalium RR. PP. in Pseudo-Isidoriana collectione contentarum receptionem; quas Willibertus suorum jurium Episcopaliū defensor ceu novas non duxerat acceptandas."* An rationabiliter, anve sophistice? Quid? Qui decretalium mentionem non fecit, num eas non acceptandas duxit? Num mentio hæc studio, numve ex incuria, vel ex ignorantia, æque ac propria subscriptio omissa? Num rationabiliter præsumendum, Pontifici in facie resistere voluisse Archiepiscopum, qui observante BERARDO *de Gratiani Canon. Part. II. Tom. II. Cap. 78. pag. 351. nihil magis anxie quærebat, quam pallii usum, quo obtento, quasi probatâ ab ipsamet Apostolicâ Sede sui consecratione, episcopatum suum pacifice possideret; quippe cum Archiepiscopus ante receptionem pallii ea, quæ ordinis sunt, exercere nequeat.*

Porro ut Dissertatoris flosculo utar, falsissimum est, NICOLAUM I. epistola ad Episcopos Galliarum (quæ DISTINC. XIX. CAN. I. refertur, falsa,

nec & Decretalium Pontificum Romanorum constitutorum mentionem (c) fecerat. 3.) Quia fidei paginam propria subscriptione munigar, nec 4.) aliquem, qui illam iurejurando firmaret, miserat.

falsarum Decretalium RR. PP. in Pseudo-Isidoriana collectione contentarum receptionem imperasse, prout sagacissimus BERARDUS *cit. Tom. II. Cap. 77. pag. 305.* jam tum hisce demonstratum ivit: "Ex hac integra epistola liquet, Nicolaum quidem Sedi Apostolicæ reservatas dixisse causas illas ecclesiasticas, in quibus ageretur de deponendis Episcopis; At ad id demonstrandum non quidem argumentis usum fuisse, quæ ex Isidorianis Epistolis depromerentur, sed potius aliunde hausisse & quidem gravissima argumenta. Quod si de veterum Pontificum epistolis non nihil attigit, non eo mentem convertit, ut illas velut indubias prorsus & firmissimas habendas censeret, sed quod nosset, Gallicanos Episcopos generaliter omnes Decretales maximorum Pontificum, genuinas etiam, & germanas contemnere, quoties in Codice Canonum non legerentur. Licet autem parum interesset, aut nihil Christianæ Reipublicæ, ad epistolas Isidorianas veluti Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium confugere, cum incertis aut falsis monumentis nunquam Ecclesia ob stabilitatem sui opus habuerit, intererat tamen quàm maximè, præjudicium illud ab animis fidelium, ac potissimum Episcoporum averruncare, qui putabant, nihil recipiendum esse, nisi quod in Canonum codice expressum continetur. Quis enim non noverit, exinde etiam non nihil videri potuisse detractum non solum sanctissimis ecclesiasticorum virorum monumentis, verùm etiam ipsis sacris literis, quemadmodum egregiè Nicolaus argumentabatur." Falsissimum proinde est, Canonem IV., de quo nunc agimus, verbis *Decretalium Romanorum Pontificum* falsas Isidori decretales indicare, atque indigitare. Falsissimum pariter est, WILLIBERTUM, quæ suorum jurium episcopalium defensorem, eò, quò pallium petebat, tempore novis Isidori mercibus restituisse, queis Hedderichii merces quam simillimæ sunt. Sic falsitates obtrudere audaculus non veretur, qui alios falsitatum protervè insimulat.

### §. X.

Ita tenendum, ac statuendum cum GRATIANO, CORRECTORIBUS ROMANIS (a) fratribus PITHOEIS, HARDUINO (b) BOEHMERO, BERARDO (c) pluribusque aliis. Et cur non? Secundum

(a) Horum catalogum exhibet ANTONIUS AUGUSTINUS *de Emendat. Gratiani Lib. 1. Dialog. XX. pag. 237.* Curante BALUZIO Parisiis MDCCLX.  
 (b) *Concil. Collect. Reg. Tom. VI. Part. 1. pag. 122.*  
 (c) *Cit. Cap. 38. pag. 351.*

cundum primas namque Hermeneutices regulas, vulgatam, ac communem inscriptionem æquè, ac ipsum textum, nec non lectionem veterum Codicum tamdiu retinere oportet, donec immutatio, interpolatio, deletio, mendum, aliù-que error, aut lapsus plenissimè demonstrari potest. Jàm verò qui impræsentiarum lapsus probatur? Pol! hucusque ne quidem minima lapsus umbra allata, multò minus sufficiens ratio adducta est, quæ lapsus si quis esset, correctionem exigat, postulètque.

(d) Apprime ad rem GALENUS a CLERICO *Art. Critic. Part. III. Sect. 1. Cap. 17. §. 25.* relatus infit: *Si illi quidem indicatâ veterè Scripturâ dicerent, vitiosè scriptam esse vocem, par esset propterea excogitare, quænam esset Hippocratis scripturâ? eosque probarem, si post emendationem aliquid utile docerent, & sententia veteris magistri consentaneum.* Non minus GERMON *De Vet. Hæres. Eccl. Cod. corrupt. Part. IV. Cap. 1. pag. 560.* monet "Relictos à Majoribus nostris libros tamdiu pro genuinis, pro integris, pro certis ipsorum scetibus haberi decet, quamdiu non constat, spurios esse, adulteratos, aut incertos."

### §. XI.

Contra pro vulgata inscriptione stant prægnantissimæ verisimilitudines, rerumque argumenta. Juxta supra allegata, ac probata HADRIANUS II. electionem WILLIBERTI jussu LUDOVICI, inconsultâ tamen Apostolicæ Sedis autoritate circa finem anni 869. peractam, nec confirmavit, nec ratam habuit; sed sibi uberiores causæ cognitionem, ac discussionem reservavit, eumque in finem Regi non ipso electionis, sed alio, & verisimiliter anno sequente nimirum 870; & quidem, ut ipse epistolæ finis docet, V. Kalend. Julii Indictione tertiâ scripsit, ut ille, qui ordinatus est, pontificiæ exhibeatur præsentia. Quid jam? Quo die epistola Regi est reddita? An Rex Pontifici nec respondit, nec justitiam electionis, se jubente, celebratæ exposuit, sed ocus morem gessit, ac mandavit, ut WILLIBERTUS Romæ se sisteret? An CAROLUS Rex non intercessit, sed HILDUVINUM, quem cathedræ Archiepiscopali Colonienfi paullo ante electionem WILLIBERTI præponere tentavit, deseruisse sustinuit? An, & quò tempore GUNTHERUS, & WILLIBERTUS legitimè in jus vocati sunt? An WILLIBERTUS Romam ocus advolavit, causamque suam peroravit? An GUNTHERUS eodem die advenit, & comparuit? Quo tempore utraq; pars interrogata, arque audita est? Quo anno causa gravis momenti ita in-

instructa, & conclusa est, ut adhuc ante HADRIANI II. obiectum  
 conventu Synodali plenè excuti, ac terminari potuisset? Si etiam  
 potuisset, quâ ergò die HADRIANUS II. sententiam, remorâ omni  
 appellatione, ac quocunque juris remedio, tulit? Ubi illa reperien-  
 da, & WILLIBERTO, anve GUNTHERO favorabilis? Ante hanc  
 sententiam autem nec WILLIBERTUS pallium prudenter, &  
 propitia Themide petere, nec HADRIANUS II. responsum ejus  
 tenoris, ut CANON IV. refert, dare poterat. Alioquin HADRIA-  
 NUS causâ nondum decisâ, adeoque lite pendente, electionem jussit  
 quidem Regis, sed inconsultâ Apostolicæ Sedis autoritare peractam  
 comprobâsse, ratamque habuisset, quippe cum, suspenso adhuc  
 electionis valore, ineptissimè, atque imperitissimè responsum fuisse,  
 pallium ideo conferri non posse, quia fidei pagina minus, quam  
 oporteret, continet, nullam sanctarum universalium Synodorum, &  
 decretalium Romanorum Pontificum mentionem facit, & propria  
 subscriptione caret.

### §. XII.

Nondum concludamus, sed adhuc moremur. Annon JOANNES  
 VIII. Pontifex Maximus WILLIBERTO Archiepiscopo pallium  
 anno 873. concessit? Non est, qui de eo dubitet. Quod si ergò  
 Pontifex pallium concessit, quis negaverit, Archiepiscopum petiisse,  
 præsertim cum omni verisimilitudini repugnet, Pontificem proprio  
 motu adductum esse, ut pallium conferret, quin Archiepiscopus  
 Papam neo electum debitè salutâsse, ac recognovisset? Accedit ad-  
 huc, quod Archiepiscopo tum temporis proximior opportunitas  
 atque occasio obvenerit, siquidem mortuo GUNTHERO mortua  
 pariter fuit controversia, atque inde velut ex cineribus orta nova  
 causa pallium petendi, prout etiam Archiepiscopus reapsâ postula-  
 vit, sed non eò, ut decebat, modo, ac more. Hinc Pontifex Ar-  
 chiepiscopum monuit, ac defectus, quos sæpe laudatus CAN. IV.  
 memorat, indicavit, quæ suppletis, dein pallium missum est, ita ut  
 Archiepiscopus Synodo, sub LUDOVICO Rege apud Coloniam  
 Agrippinam V. Kalend. Oct. DCCCLXXIII. (a) collectæ ritè præ-  
 sidere valeret.

### DIXI.

(a) Apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 356. qui non lapsus,  
 sed certò certius mendum typographicum passus est, dum Synodi, ut vo-  
 cant, rubrum VI. Kalend, nigrum contrâ V. Kalend, assignat.